



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Morbos etiam ob medicinam ad Dei potentiam agnoscendam dari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

quidam medico obuiam factus, veniam rogabat, quòd tam diu non ægrotasset, neque ei stipendium lucrandi occasionem præbisset. Ridicula ea erat excusatio, apud mortales. Nemo enim debet in gratiam medici ægrotare. Atqui apud Deum immortalem, inter ceteras causas, ob quas hominibus morbos immit- tit, sæpe etiam illa est vna, vt discant ad medicum recurrere, opemque illius implorare, atque inde diuinæ prouidentia consi- lia agnoscere, quæ non solum morbos in mundum induxit, sed etiam morborum medicinas.

*Mille mali species, mille salutis erunt.*

Neque prouidentia dumtaxat diuina hinc elucet, sed etiam potentia mirificè inclarescit. Duplex enim ratio est recuperan- da sanitatis. Vna per vim naturæ, altera per miraculum & ex- traordinariam Dei potestatem. Ad quam agnoscendam prædi- candamque multi ægrotant, vt in Christo Domino apparebat, qui circuibat, *sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Matth. 4: 23. Quid enim inde factum est? *Et omnis turba quarebat eum tange.* Luc. 6. 19. *re: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et longè clariùs, quando discipuli interrogauerunt: *Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Respondit IESVS: *Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera DEI in illo.* Sed de hoc supernaturali sanandi modo cap. seq. dicemus. Hic priùs explicandum est, non solum medicinam esse inuentam, & hominibus traditam, vt ea morbos pelleret, aut præueniret; ve- rùm etiam morbos ipsos existere, vt ad medici opem confugia- tur, eiusque ars, & in illa mirifica herbarum, radicum, florum, lapidum atque animalium natura, atque in his omnibus diuina potentia prædicetur. Si enim tantam vim rebus creatis indidit, quantam necesse est, in illa immensa omnipotentia reperiri?

Apud Pausaniam, Æsculapij simulachrum sedet in solio scipionem tenens, altera manu draconis caput premit, cane ad pedes decumbente. Solium & virga typus est imperij, quod medicus gerit in ægros: draconis caput non vigilantiam dum- taxat significat, sed etiam venenum cui dominatur, immò quod in medicinam vertit: canis denique fidelem eiusdem custodiam repræsentat. Vt enim canis dominum custodit, defendit, nec

D d d

deserit

Ouid. lib. 2.  
de remed.

II.

Matth. 4: 23.  
Luc. 6. 19.

Ioan. 9. 2.

III.

Pausan. in  
Corinth.